

3243
1662



BEATISSIME PATER.

Quòd in publica totius Ecclesiæ causa, priuatiq̄ue ministerij mei vulneribus ad Apostolicam Sedem, & paternum Beatitudinis Tuæ sinum confugio, facit sacra confessio religionis continuo traditionis vsu iam inde à fidei primordiis confirmata, quòd immeritâ, quantum mihi videtur, persecutione vexatus, perpetuum hoc laborantis innocentia præsidium tam ferò implorare videor fecit hæcenus concepta spes futuræ tandem aliquando tranquillitatis, & animus ipsâ Christianæ patientiæ voluptate saginatus. Alterum sic mihi cum Illustrissimis aliquot Præsulibus Ecclesiasticæ pacis & veritatis amantissimis commune est; alterum sic mihi proprium est & peculiare, vt quocumque oculos per Catholicum orbem circumferam, nullum adhuc hac nostrâ ætate Episcopum videre contigerit cuius exemplo illatam authoritati meæ iniuriam solari possim, & exercitatum ab aliquot annis tolerantiam sustentare.

Noui equidem, B. P, plenam esse non sollicitudinis modò ac laboris, sed arumarum etiam ac cladum episcopalem vitam; in hoc positos esse quotquot arduum istud vitæ genus non ex humano fastigio vel dignitatis splendore, sed ex procuranda animarum salute, & reddenda supremo pastori Christo ratione metiuntur: Episcopos denique omnes qui in partem Apostolicæ procuracionis vocati sunt, non inani quadam ostentatione crucem præferre pectoribus, quam intimis animi penetralibus infixam gerere debent ac deosculari. Sed inde mihi creatam esse molestiam vnde subsidium exoriri debuerat, excitatam à plurimis Ecclesiæ meæ Cathedralis Canonis hanc iniquissimam procellam quæ in meum & orthodoxorum aliquot Sacerdotum pro Hierarchiæ causa decertantium caput incubuit, vno impetu, & factâ quasi conspiratione impugnatam sedem meam, læsam iurisdictionem, famam existimationemque gratis violatam, tam nouum est, tara superioribus seculis inauditum, tam parum fidei habiturum apud posteros, vt vel me silente ipsa rei atrocitas vociferari palam & vigiles Tuæ Sanctitatis oculos sollicitare videatur.

Patere me, B. P, non gemitibus ampliùs ac suspiriis, non fufis tantum ad Deum precibus in eorum gratiam qui me tam indignis modis habuerunt habentque quotidie, sed simplici ac breui quadam rerum gestarum commemoratione totum hoc defensionis meæ atque apostolicæ quam meditoꝝ consultationis negotium exequi. *Amici certè mei & proximi mei aduersum me psal. 31. appropinquauerunt & steterunt. Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Deo iudice, & teste conscientia fretus constitueram hæcenus impositum mihi munus, quantum cœlesti opitulante gratiâ præstare poteram, haud segniter obire, quoadusque omnis iniquitas oppilaret

Paulin
Ep. 1.

os suum, & iustitia in iudiciū conuerteretur. Defendenda innocentiae meae tantisper defuisse malui, quā animos sponte suā tumultuantes & sub huius tempestatis caligine nihil non ausuros, nihil non spreturos episcopalibus armis exasperare. Dicere etenim haud iniuriā potui cum S. Paulino Consulari dignitate ad sacras infulas raptō, nec ipso calamitatum exorte; *In cœnaculo nostro secreti silemus, quia bonum est viro ut Propheta tacens, & sedere singulariter, & tacere.* Vnde etiam in causis vociferandis filere nos docuit ipse Dominus, qui sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum, qui tamen dixit; *Tacui, numquid semper tacebo?* Ipsius ergo voluntatem & iudicium taciti sustinemus qui potens est & nunc in nobis tacere, & cum voluerit interpellare pro nobis.

Verum tamen si longam illam iniuriarum feriem premere apud me constituerim, neque ita sim ambitiosus in malis ut eorum acerbitatem iustissimis querelis protulerim in publicum, nisi quantum me tuendę autoritatis, & amoliendę Diœcesanorum meorum mentibus scandali necessitas impulit, eā tamen rerum conditione viuimus ut tempus tacendę effluxisse pridē intelligam, nec tam patientiæ laudem quā labem præuaricationis ex diuturniori silentio viderer imposterum reportaturus.

Dicam itaque ingenuè, B. P. nullum esse tota Galliã Episcopum qui ab aliquot annis indigniora sustinuerit quā me perpeßum omnes & sciunt & profitentur; sed addam simul, & subinuocatione supremę veritatis affirmabo, nullam esse in Christianissimo regno diœcesim cuius Præsules Ecclesię vnitatem & animorum cõcordiam firmitiori nexu adstringere hoc seculo studuerint, & quantum conicere licet, adstrinxissent certissimè, nisi in inquietos aduersarios, & zeli nomine rebellionem suam superbiamque prætexentes incidissent. Cum enim tranquillam diœcesim, & indefatigabili decessoris mei sollicitudine ac providentiã, & labore per annos plus quā triginta exantlato florentem mihi obtigisse animaduertem, nihil magis in votis habui quā nē quis discordiæ ventus alieno afflatu pacem hanc publicam vnanimitatemque turbaret, & conceptam futurę vbertatis spem decoqueret. Hinc quod sapientissimè præceperat Illustrissimus decessor meus, cui me ecclesiastici regiminis amulatione quā sanguinis propinquitate coniunctiorem esse semper optavi, ut in publicis ad populum habendis concionibus euangelici præcones ab iis de diuina gratia quæstionibus abstinerent quæ Catholicę plebis simplicitatem excedere viderentur, neque proferrent in pulpita quod in Theologorum scholis cum aliquo animorū æstu disceptabatur, illud ipsum totã diœcesi renouandum esse duxi statim atque infirmos & imbecilles humeros huic episcopali sarcinæ tremens supposui, disertisque verbis prohibui ne quis de tanto mysterio nisi diuinę gratiæ assiduis precibus impetrandę & verę pœnitentię fructibus demonstrandę necessitatem palam edoceret.

Vbi verò sanctę memorię Innocentius X. suam de quinque Propositionibus Constitutionē emisit, non solum huius Pontificis iudicio, quod scriptã ~~quod~~ nonnullis Ecclesię Præsulibus epistolã cõsulueram, penitus acquieui; sed illud etiam typis mandandum ac per totam diœcesim meam publicandū curari, ut hæreses ab apostolica sede damnatas me etiam præeunte damnarent quotquot à iurisdictione mea pendent, ac nemo posset impune defendere. Verum cum eiusdem Constitutionis exemplar ad insignis Ecclesię meę

3
canonicos pro more misiffem vt ecclesiastica regula toto orbe promulgata sefe conformes & obsequentes praestarent, illi sub hac occasione supercilium suum ostentare, nec iam suis se limitibus cohibentes episcopalem iurisdictionem vsurpare coeperunt. Nouum itaque mandatum, prout libuit confectum, non solum in capitulari conuentu legendum statuerunt (quod vnum fieri oportebat) sed etiam Ecclesiae valuis affixerunt, & coram plebe mea medio in choro primaria basilicae publicarunt.

In hoc tam aperto, tam indigno, tam petulanti autoritatis meae contemptu quid aliud egissem, B. P, nisi quod Episcopum decebat, aut quomodo dissimulare potuissem iniuriam non mihi priuatim, sed vniuerso Episcoporum ordini ab audacissimis hominibus illatam qui in tota Bellouacensi Diocesi nullam habent parochiam capitulo suo subiectam? An ergo desererem ecclesiastica Hierarchiae causam ab iis temere violatam quos ministerij mei cooperatores experiri semper optaueram, & hoc characteris mei ludibrium ignarus ac stupens conspicerem? Aliud Christo me debere intelligebam cuius haec vox est in Euangelio: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit, Qui autem me spernit spernit eum qui misit me,* aliud à me Ecclesia exigebat, quae cum sit castrorum acies ordinata, non patitur Presbyteros tumultuantes, & superbiae cothurnum (vt habent Gallicana Concilia) in illis comprimit. Nouum igitur capituli mei mandatum ex potestatis defectu irritum esse pronunciaui, sed ita tamen vt Apostolica Constitutioni sua semper autoritas integra & illibata permaneret.

Concil.
Narbon.
l. Can. 10.

Hac vna est origo totius contouersiae, S. P, Quamquam enim in hac necessaria dignitatis meae defensione nihil à me profectum esset quàm quod ecclesiastica moderatione omni ex parte congrueret, non tulerunt tamen contumaces Presbyteri Episcopum iurisdictionis suae defensorem, affixisque nouis programmatibus ceruicem sic erexerunt vt nullo contumeliae genere sibi temperarint; vel hoc ipso minus ferendi, quod Cathedralis Ecclesiae chororum, quem cum ipsis communem me obtinere superiori Mandato modestius ac de pressius forte quam par esset, asserueram, sibi solis ignominiosissime vindicarent, quasi non iam Episcopus in decessorum meorum Cathedra sedens, sed vmbra tantum essem Episcopi, & in me vno omnes Ecclesiae canones conculcare velle viderentur.

His opprobriis saturatus, P. B, priuatam contumeliam à totius Hierarchiae causa se junxi, Memini siquidè illum ipsum gentium Doctorem qui se in medio Thessalonicensium paruulum factum esse professus erat, Romanis fidelibus pro tuenda dignitate sua apertissime scripsisse: *Quamdiu quidem sum gentium Apostolus ministerium meum honorificabo; quibus verbis,* inquit S. Gregorius, *proculdubio nobis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore quatenus nec in nobis humilitas sit timida, nec erectio sit superba.* Occurri malo longius iam latiusque serpenti, scriptaque ad Diocesanos meos, quos huius rebellionis contagio afflare facillimè poterat, Pastoralis epistolae efficere conatus sum nè commissa fidei meae autoritas quid detrimenti pateretur.

1. Thessal.
2. v. 7.

Gregor.
l. 4. In-
dial. 13.
Ep. 36.

Quae hanc Epistolae meae publicationem sequuta sint, B. P, non opus est amplificare verbis. Hoc vnum dixisse sufficiat, non vni tantum Episcopo sed toti etiam Hierarchiae indictum esse deinceps bellum ab istiusmodi Canonicis, qui praetermissa Rhemensium metropoli ad quam huius contro-

uerſæ cognitio ex Canonibus & perpetuo prouinciæ uſu pertinebat, Romanam Sedem, quaſi ab illa immediatè pendentes ita ſollicitarunt, vt me *agitari* ſcriberent, ac de Epifcopo ſuo diuinam pro ipſis quotidie miſericordiam effligitè ſic tanquam de fanatico aut energumeno ſcriptis in lucem emiſſis loquerentur. Accepi tandem ipſe oblatam conditionem, neque renui iuriſdictionis meæ cauſam coram delegatis ab Apoſtolica Sede iudicibus diſceptari; quos dum vtrinque varios identidem obtinuimus, alios ſubinde dolos contexere moliti ſunt aduerſarij mei, & ſub neſcio cuius cautionis obtentu nouas inſidias ſtruxerunt.

Seruauerat mihi Deus in hoc Canoniorum ſodalitio preſbyteros aliquot fide orthodoxâ doctrina ac pietate commendabiles, & cum deceſſore meo tam arctâ neceſſitudine conjunctos, vt eorum quorſdam in generales Vicarios elegiſſet (quod & ipſe conſeſſim præſtiti) alios grauiſſimis Epifcopatus ſui functionibus adhibuiſſet. Cum illi quibus adminiſtris in exoluendo epifcopali munere vt conſueueram in fratrum ſuorum conſpirationem venire palam abnuerent, & iuriſdictionis meæ aduerſariis conſtantiffimè reluctarentur, inuiſi eſſe cœperunt ſuæque integritatis pœnam luere. Vbi enim Decanus, qui Lutetiæ perpetuo habitat contra iuriſiurandi religionem quâ ſe Bellouaceniſi reſidentia adſtrinxit, ad generale Capitulû aduolaſſet, ſchedam repente deprompſit à cœmuni cœtu è veſtigio ſubſcribendam, quâ ſtatucretur, vt conſectæ à nonnullis Epifcopis formulæ omnes adhibito chirographo, & manu ſacris euangelij appoſita aſſentirentur; qui ſecus facerent Eccleſiæ choro eliminandos, & eccleſiaſticis præbendarum ſuarum redditibus priuandos eſſe. Ex hac nube ingruentem capitibus ſuis procellam continuo detexerunt Hierarchia amantes Canonici, & in eas anguſtias redacti vt vel fraternæ hoſtilitatis conſpirationi ſuccumberent, vel meam ac totius Eccleſiæ cauſâ deſerere cogerentur, maluerunt acerbiffima queque experiri quam in eorum conſilium ac coniuurationem venire qui in epifcopalem iuriſdictionem violentas manus iniicerent. Poſtquam itaque deprehenderunt nihil ſe fraternis admonitionibus proficere, neque rationibus vllis conſequi poſſe vt qui hoc facinus animo præceperat, me prius conuentû vellent quam vt in re ad fidem ſpectante præſentem Epifcopum, & pro commiſſo grege in vrbe excubias agentem prætermitterent, nec tam cœco impetu vltionis ſuæ libidini obſequerentur, debitam Apoſtolicæ Sedi reuerentiam profeſſi, ſeque Sanctiſſimi Patris Innocentij Conſtitutioni obſequentiſſimos verbis ac ſcriptis denuo proteſtati, Regni legum tutelam (quod in præſenti diſcrimine vnicum erat perſugium) appellarunt.

Dum res ad arbitrium Decani parum feliciter procedit, alias conatibus ſuis machinas adhibet, & quaſi pro Catholica fide dimicans (de qua nulla prorsus erat controuerſia) Gallicani Cleri comitia præhenſationibus & obſequiis demulcere contendit. Quo id euentu tentauerit B. P., non eſt quod ſigillatim recenſeam. Nouit Sanctitas Tua nihil incertiſſime eſſe tota ratione comitorum, idque perpetuo rerum humanarum uſu comprobatum nouis in hac cauſa experimentis apparuit. Prout enim conducere viſum eſt iis qui negotiorum ſummam obtinebant, alia ſubinde fuit deliberationum facies. Vix tamen credendum eſſe videatur, niſi foret reuera certiffimum, in cauſa prorsus epifcopali ſic priuatis affectibus nonnullos induliſſe vt canonicis aduerſus Epifcopum ſuum conſpirantibus fauerent, & haberi mallent

5
propria iurisdictionis desertores quàm procusam à se formulâ quasi publi-
cam Ecclesiæ Gallicanæ legem non asserere. Meminissent vtinam S. Gre-
gorij Eulogio Alexandrino olim sic rescribentis, *Ego non verbis quero prope-
rari, sed moribus. Nec honorem meum deputo in quo fratres meos honorem suum* Greg. I. f.
Indict. I.
Ep. 30.
*perdere cognosco. Meus namque honor est honor vniuersalis Ecclesia. Meus honor
est fratrum meorum solidus vigor.* Sed quidquid apud se constituerent, mearum
partium esse duxi Episcopatus iura nunquam destituere, ac per epistolam
respondi prius res in integrum restituendas esse, & abolendum à Canonicis
statutum suum quàm de formula quidquam decernerem.

Interim, B. P. hæc vna cogitatio subiit, implendi ministerij mei sata-
gere, cætera Deo committere, qui me tueri posset *a sagitta volante in die, &
negotio perambulante in tenebris.* Quidquid vagis ac cõtinuis rumoribus spar-
geretur, quidquid virulentis calumniis in Præsuli sui nomen molirentur
aduersarij, quascumque minas atrocissimis maledictis adderent, ad Chri-
stianam patientiam animam obduravi hoc Apostoli vaticinantis oraculo,
*Omnes qui pie vivere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur. Quoniam in eo
tantum computanda est* (vt olim scribebat S. Leo vai ex Gallia nostra Episco- Leo Ep.
89. ad
Rast.
Narbon.
pis) *quod contra christianam pietatem aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscum-
que suppliciis, cum persecutionum seuitiam suppleam & dissimilitudines morum, &
contumacie inobedientium & malignarum tela linguarum.*

His artibus in aulam callidè irrepserunt Bellouacenses Canonici, & si-
nuosis molitionibus ac technis negotij summam eò deduxerunt vt Christia-
nissimus Rex, cuius nota orbi vniuerso pietas mihi semper veneranda est,
causâ à Parisiensis Senatus subselliis ad sublimioris sui Consilij tribunal
euocatâ in illorum gratiam pronuntiauerit, & canonicos qui tantum pro
defendenda Hierarchia discrimen subierant inauditos, ac nihil tale cogi-
tantes ecclesiasticorum reddituum iactura multauerit, Capituli & Cathed-
ralis Ecclesiæ chori ingressu interdixerit, cæterisque canonicatus sui ho-
noribus priuauerit.

Sic factum est, S. P. vt orthodoxi Sacerdotes fide doctrinâque irrepre-
hensibiles, debitam tuæ Constitutioni reuerentiam scripto professi, nullo
ecclesiastico iudicio conuicti, nullâ censurâ vel censura vmbra inuoluti, ab
Ecclesiæ suæ liminibus quam suauis pietatis ac doctrinæ suæ odore resper-
ferant, quasi execrabiles arceantur, vnici tantum criminis rei, quod soda-
lium suorum aduersus proprium Episcopum conspirationi consentire no-
luerint. Amarum tam indignæ contumeliæ calicem hauserunt ad facem
vsque, & profratribus suis orantes à quibus tam acerbam iniuriâ sustinent,
iam à tribus annis in Bellouacensi diœcesi sine stipendio militant, satius ha-
bentes dare locum iræ quàm Regium tribunal cum Regio tribunali com-
mittere & Senatusconsulto, quod in innocentia testimoniū etiam post hanc
ignominiam obtinuerant, ecclesiastici patrimonij defensionem procaciter
sustinere. Tranquilli igitur hætenus & silentes expectant donec aspiret
dies, & inclinentur vmbra, nec hominum patrociniū ambiunt, sed Dei
præsidium implorant. *Ipsè est enim* (vt aiebat Hildebertus Cænomanensiu Hildebert.
Ep. 75.
Episcopus) *in cuius manu corda Regum cerea sunt. Quocumque placet ea solus
inclinat, alterat in quam vult formam.* Interim sese interiori conscientia testi-
monio, & publica mea commendatione recreant ac reficiunt, & spectaculū
facti Deo, Angelis & hominibus, eo se nomine consolantur, Deumque glo-

rificant quod non patientur ut fures & homicidæ, sed ut Christiani ac Catholicæ Sacerdotes Episcopo addicti, cui ipso suæ ordinationis die fidissimam obedientiam voverunt. Denique quod atrocior videtur hæc nouitas, tamdiu sese innocentes credent, & apud rerum ecclesiasticarum peritos æquitatis suæ fidem facient, quamdiu aliquo in pretio erit S. Gregorij autoritas, cuius hæc vox ex ipso æquitatis sinu expressa, & canonici iuris corpori inserta est;

Greg. l. 2.
In dicit. 1.
Ep. 1. 9. 3.
cap. 44.

Non debet is poenam sustinere canonicam in cuius damnatione non est canonice prolata sententia.

Hoc est B. P., totius controuersie causa, hæc imago persecutionis meæ, non fictitiis ad inuidiam quæsitis coloribus adumbrata, sed sine fuce & arte rerum gestarum seriem representans neque vllus dubito quin videat iam Sanctitas Tua quam nihil ad fidem pertineat istud negotium, totumque intra episcopalis iurisdictionis limites coercatur, cuius defensionem si desim, non mihi priuatim ipsi, sed toti Ecclesiæ defuero. Et si enim Episcopi nomen non mereatur qui publicam tranquillitatem, & commissæ sibi plebis quietem priorum commodorum iacturam redimere paratus non sit; tamen (ut me docuit Galliæ nostræ decus S. Hilarius) *non oportet humilitatem cedere constantiæ, & libertas Dei à nobis in ea quam omnibus debemus seruitute retinenda est, ne ad potentium impetus terreamur.* Quod quidem animi robur si numquam non in Ecclesia necessarium est, nostris certè temporibus à Deo efflagitandum est imprimis ut dum paci consulimus & vnitati non patiamur inauditum seruitutis iugum ceruicibus nostris imponi.

Hilar. in
Psal. 14.

De formula loquor, P. S., quam à Gallicano conuentu transmissam sub canonicarum poenarum interminatione subscribendam exigunt aliqui à Collegis nostris; qui facti asperitatem vocis benignitate lenientes sic hortari videntur vt minus inuidiosè terrere contendant, & eo nomine vsi quod fraternam charitatem redoleat nouam reuera dominationem vsurpant, insolitam in Ecclesia iurisdictionem inducunt. Quid enim aliud sibi vult dum comitia sua Nationalis Concilij titulo corroborare gloriantur, quasi paucorum Episcoporum sit singulis quibusque iustis per conculcatam fratrum suorum etiam reluctantium auctoritatem ad illud tribunal ascendere vnde inconsultam Tuam Sanctitatem quascumque libuerit leges præscribant, & inconcussa nonnullis formidine alios vel suis sanctionibus obsequentium numero, vel regie potestatis pondere opprimant?

Nouit, Sanctitas Tua, B. P., neque ipsi ignorare iam possumus quid super istis molitionibus ad Te scripserint Illustrissimi Præsules Andegauensis ac Venciensis nunquam sine laude nominandi; quid etiam Gallicani Cleri Comitibus per Epistolam regesserit piissimus Electensium Antistes per totam Gallicanam ^{et bel. gressu} cæterorum exemplar ac forma Sacerdotum. Volitant illorum scripta per vniuersum regnum, neque modò in hac facti quæstione superuacaneam esse subscriptionem demonstrant, sed etiam Episcopalis auctoritatis perniciosam, ac totius ecclesiasticæ disciplinæ subuersionem inde sequituram asserunt. Quod cum firmis rationum momentis adstruxerint, vel ipso Sanctitatis Tuæ silentio confirmatum plerique existimant, cuius scilicet in asserenda Catholica religione studium orbi christiano sic innotuit, ut credi vix possit vigilantissimum Pontificem in re tanta nihil responsurum fuisse si quidquam in illis epistolis reprehendendum occurreret.

Numquid ergo munere meo functus sum, B. P. qui Sanctissimi Tui De-

cessoris Innocentij X. Constitutionem, qui tuam per totam Bellouacensem Diocesim promulgari, qui damnatas in iis hæreses proscribendas esse duxi, in eos animaduertere paratus qui debitam iisdem Cõstitutionibus reuerentiam persoluere abnuant? An qui lultratis semel atque iterum singulis Diocæses meæ parochiis nullum damnatarum propositionum defensorem repererim, paucissimos qui Iansenium legerint, omnes qui religiosum super hæc quæstione facti silentium obseruent, creditum mihi gregem concutere debeo nouis turbinibus, & in rebellium Canonicorum gratiam quietos Pastores, mihi que ac moderationis nomine cognitos offendere? An qui ex leuiori scintilla video excitatum incendium, oleo potius quàm aquis illud restinguendum putem? An Episcoporum negligentium pœnas incurram si eos tanquam hæreticos minus insecter, qui cum neque damnatas quinque propositiones neque ullam aliam hæresim propugnent, supplices efflagitabant nè quas ipsorum conscientia invidias struam, & extortis per vim subscriptionibus vel imperita plebi suspectos reddam vel inuitiles? Quis nescit pastoralis esse prouidentia hæreticos tanquam pestiferas oues à Christi grege exclusas, & vltro aberrantes ad Ecclesiæ ouile reducere, superbæ vero dominationis esse Catholicos ab hæresi & schismate alienos à matris gremio arceri, violentis cõminationibus vel episcopalibus armis sæuire in innoxios? *Peribit ergo infirmus in mea scientia frater propter quem Christus moruus est?*

1. Cor. 8.
v. 11.

Sed quid de scientia loquor (B. P.) quam si labiis meis custodiri erendant, & de ea quæ imponenda præcipitur lege os meum interrogari inferioris ordinis Sacerdotes vel elinguis sim, quod indecorum Episcopo, vel veram in clero dominationem legis instar reponam, quod Princeps Apostolorum Petrus in Pastoribus reprehendit. *Considerandum est Sacerdotium esse officij*, inquit Hieronymus, *de lege interroganti respondere. Si Sacerdos est, sciat legem Domini, si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini Sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege.* Sit ergo qui edoceri se potius quam terreri postulet, & à me sciscitetur an ipse Cleri Gallicani formulam pro lege ecclesiastica admittam, quæ Romæ ubi lata constitutio est, nemini orthodoxo subsignanda proponitur, quid erit quod respondeam? Si de Iansenij sentu interroget, in quo damnatas esse propositiones dixerò, & in quonam positus sit iste Iansenij sensus, quem alij alium pro arbitrio asserunt an se conuictum putabit si me hoc nescire respondeo quod à Sanctitate Tua nondum fuerit definitum? Nonne ergo Beatitudinis Tuæ consilio conuenientius esse videatur vtramque Constitutionem sic exequi, vt si quis damnatas propositiones defendat quasi hæreticus plectatur, si quis circa facti quæstionem modestià ac silentio demonstrat debitam Apostolicæ Sedi reuerentiam, nullo alio conscientia onere prægrauetur?

1. Petr. 5.
v. 3.

Hieron.
in c. 2.
Agg.

Quid verò si à Pastorum parochiis ad sacrarum Virginum septa transierim ex præscripto Gallicani Conuentus subscriptione indicturus, an alium supertuacaneæ diligentie fructum reportabo quàm scandalum curiosi sexus, & periculosissimam teneri gregis offensionem? Quo id vnquam exemplo factitatum vt Christi sponsæ non solum confixas ab Ecclesia hæreses anathemate percellant, sed etiam de libro, cuius & ignorent idioma & argumentum captu suo sublimius esse profiteantur, in mera facti quæstione sententiam suam apposito chirographo consignent? Quin potius sinamus illas virginem suam simplicitate contentas esse quæ de rebus sibi prorsus ignotis neque iudi-

cium ferre queant, neque testium partes obire; nihilque aliud ab illis exigamus nisi preces ac gemitus quibus diuinam exorent misericordiam, & totius gregis cuius illustrior sunt portio, tranquillitatem humili silentio impetrare conentur? Silere mulieres in Ecclesia iubet Apostolus: taceant ergo, neque illas tantis se rebus immiscere iubeamus, vnde vel elationis tumorem contrahant, vel infinitis scrupulis torqueantur. Hæc præcipua pars est nostræ sollicitudinis omni ope atque studio prospicere nè vel illarum tentetur imbecillitas, vel foueatur curiositas, vel humilitas minuatur; quod qui istius modi subscriptionibus perfici posse sperarunt, viderint quibus fulciantur experimentis, nobis nostrorum Monasteriorum conscis, & in Diocesi nostræ non vsquequaque peregrinis aliud longè persuasum est.

Ignoscat Sanctitas Tua, B. P, quòd tam prolixâ Epistolâ vel oculos vniuersi orbis regimini inuigilantes, vel aures publicis commodis occupatissimas fatigem. Non potui breuius aut statum meæ Dioceseos describere, aut hierarchiæ causam agere, cuius Tu principem locum obtines. Nihil equidem dignius Christianissimi Regis pietate quàm augustissimam suam Majestatem ecclesiasticarum legum vindicè exhibere, & concessam sibi à Deo potestatem executioni Canonum, quibus populi salus ac regni felicitas continetur, impendere. Sed Canonum instar haberi quod nonnulli Episcopi priuatis vel simultatibus vel commodis indulgètes contra Hierarchiæ iura & constitutos à Patribus terminos glorioso regiæ dignitatis nomine suffulciunt, illud verò non tam faciendæ paci quàm alendo bello, cuius utilitatem exploratissimam sibi habent, opportunum apparet, totamque episcopalis disciplinæ æconomiam labefactat.

Adsit ergo Sanctitas Tua tam grauis negotij moderatrix B. P, patientes omnibus Ecclesiæ nostræ Præsulibus aures accommodet diuino Spiritu perfusas & huiusce causæ viscera penitus introspeciens certa ab incertis, diuina ab humanis, necessaria à superfluis, Christianum zelum à priuatis quorundam affectibus secernere dignetur. *Longius quidem sumus positi (aiebat Sanctissimus decessor tuus Cælestinus) sed per sollicitudinem totum propius inuenimus.* Omnes habet beati Petri Apostolica cura presentes. Habeat me sibi presentem, & indignissimis persecutionibus vexatum paterno sinu foueat, apostolica manu subleuet, sacrâ autoritate sustentet. Excitatus precibus Tuis Christus imperabit ventis & mari, & fiet tranquillitas magna. Exeret se è caliginosa nube purior veritatis radius, & umbras omnes, quibus innocentiam meam obtegere conantur aduersarij, tandem aliquando dispellet: Meis me, non alienis coloribus exhibebit, & quanta sit apud me Apostolicæ Sedis reuerentia, quantum incundæ pacis studium, quàm nullus acceptarum iniuriarum sensus, Deo aspirante, demonstrabit. Hoc spero, ita voueo, sic mihi propitium fore Christum polliceor quem orare nunquam desinam, vt Sanctitatem Tuam in hac totius Ecclesiæ specula feliciter excubantem tueatur, eidemque cœlestis gloriæ infulas seruet inter Apostolicos viros æternitati tam consecratos

BEATISSIME PATER
BEATITVDINIS TVÆ,

Bellovacensi v. Kal. Iulij, Ann. 1662.

Humillimus & obsequentissimus filius,
NICOLAUS E. & Comes Bellovacensis.